



Handwritten notes in a cursive script, likely a library or collection mark, located on the right side of the page.

LUGDVNI BATAVORVM,
Ex Officina Elzeviriana Anno 1633.



Reverendo & illustri Principi
ac Domino,

D. HILDEBRANDO
à RIEDMATTEN, Episcopo Sedunensæ,
Comiti & Præfecto totius Vallesis,
Domino suo clementissimo, IOSIAS
SIMLERVS gratiam & pacem à Deo
patre, & D. N. Iesu Christo preca-
tur.

QUVM proximis aliquot ætatebus
clarum & celebre fuerit nomen
fœderatorum populorum, qui
hodie omnes à Latinè loquenti-
bus Helveti, veteri unius populi nomine,
vocantur, sæpe admiratus sum, Reveren-
de & Illustris Princeps, neminem hæte-
nus existisse, qui ipsorum res bello & pace
præclare gestas, adhuc regionis situm, &
hominum mores, Latina lingua describe-
ret, que nostra etiam ab exteris & remotis
gentibus edgnosci possent. Præsertim cum
nō desuerint homines docti & eruditi nostra
patrumque memoria, quibus hoc præstare
non fuisset difficile, maxime cum priva-



DESCRIPTIONIS
 VALLESIAE,
 LIBER I.

*De populi moribus, & regionis situ,
 urbibus, arcibus, pagis & reliquis
 memoratis dignis.*

QVA Rhodanus fluviorum
 Galliae fertilissim⁹ apud Le-
 pōtios Viberos oritur, val-
 lis non ita lata undiq; præ-
 ruptis, altissimisque monti-
 bus cincta, secundum fluvij cursum sese
 porrigit, & paulo supra eum locum, ubi
 is Lemantum lacum influit, angustis fau-
 cibus ad exitum fluvii relictis, coeunti-
 bus in unum pene montibus clauditur.
 Inhabitarunt olim hunc locum Viberi
 ad ortum fluminis, deinde Seduni, &
 infra hos Veragri: verum jam ab ali-
 quot seculis universi vallis hujus incolæ
 uno nomine Vallenses aut Vallesii seu
 Vallesiani à valle nominantur. In inscri-
 ptione vetusta, quæ non longe à Geneva
 ad

DE ALPIBVS COMMENTARIVS

IOSIA SIMLERO Auctore.



*Q*UAE in universis terrarum tractibus, campi & montes occurrant, nescio tamen quo pacto horum stupenda altitudo magis animos nostros percellit & in admirationem sui rapit, quam illorum latissime diffusa planities. Itaque prisca mortales excelsa loca divino cultui aptissima existimant, quod hominibus inde admiratio non vulgaris incuteretur: existimabant etiam vulgo loca tam eximia praesens numen habere. Neque tantum falso idolorum cultui dediti, sed populi Dei progenitores, Abrahamus ipse, Isaacus & Iacobus, alique veteres patres in montibus Deo vera sacra fecerunt. Qui mos tam diu valuit, quoad Deus lege lata praecepit, ut uno tantum in loco sibi sacra fierent. Inter gentes vero Poeta qui natura contemplationem fabularum involucris tectam posteris tradiderunt, multos monticolas Deos finxere, Faunos, Satyros, Pana, Oreaes aliaque nympharum genera complurima: neque tantum hos quasi minorum gentium Deos, sed

DE SEDVNORVM THER-
MIS ET ALIIS FONTIBVS
MEDICATIS LIBER,

Auctore Casparo Collino Seduno.

SEDVNORVM diœcesis monti-
bus horridis & inaccessis, ni-
vibusque perpetuo rigentibus,
ita undique vallata est: ut vix
Rhodano versus Orientem rapidissimo
Europæ fluvio, currenti, vallemque se-
canti, & ad Occasum in Veragrorum
agros delapso parere videatur. Quæ
cum aliis quam plurimis mineris tum
metallorum tum fontium medicato-
rum abundet, propter duo tamen ge-
nera thermarum præcipue celebratur.
Quorum alterum in Brigiensi, alterum
in Leucensi conventu, sive (ut hodie
nuncupant) Deseno, situm est. Quo-
niam vero hoc frequentissimum est ob
eximias & singulares vires ab accolis
in longinquas regiones divulgatas, illud
minus celebre, de eo priore loco dicen-
dum existimamus.

Leucenses itaque thermæ à Leuca
præcipuo hujus Deseni pago nominatæ,
duodecim millibus passuum à vetustis-
sima urbe Seduno (unde & populus
nomen sumpsit) ad Orientem distant.

A pa-